

reuereri, ut patrem; saltem reuereri oportebat ut senem: quod si cano n gliebat, certe ut benefa-

Apoc. 6. n. 5. Et cum aperuisset sigillum tertium, audiui tertium animal dicens: Veni, & vide: & ecce equus niger, & qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua,

Num. 6. Et audiui tanquam vocem in medio quatuor animalium, dicentium: bilibris tritici denario; & tres bilibres hordei denario, & vinum, & oleum ne laferis.

VERSIONES.

Syrus n. 5. Et cum aperuisset sigillum illud tertium: veni, & vide.

Pagninus. Veni, & vide, & ecce equus.

Arabicus. Et vidi, aspexique; & ecce equus niger, & in manu sedentis super eum statera.

Syrus. n. 6. Audiui vocem in medio quatuor illorum animalium, dicentem: chænix tritici denario; & tres chæntices hordei denario; & oleo, ac vino ne nocens.

Andr. Cas. Bilibris tritici denario uno; & tres bilibres hordei denario uno.

Arabicus. Mensura tritici denario, & tres mensuræ hordei denario, vinum, & oleum ne corrumpantur.

EXPOSITIO IV.

104.



Apoc. 4.

Et cum aperuisset; scilicet Agnus, tertium sigillum, audiui tertium animal, quod formam hominis habebat, supra, cap. 4. num. 7. & D. Matthæo adscribitur. Ecce equus niger. Hic ponitur principatus Ecclesiasticus. Equus niger significat omnem multitudinem Ecclesiasticam, ac etiam omnium fidelium, quatenus scilicet

sustinet; & sustinebit talem potestatem; scilicet dignitate, & superioritate Ecclesiastica, sive Pontificali, sive Cardinali, sive Episcopali, sive regulari: & habebat stateram in manu sua, id est jus canonicum sive exactam libram iustitiæ, quæ cuncta disponit; & ideo præfiguratur in equo nigro; nam niger color obcurat visum, ne respiciat personam hominum, de quo multa quæst. 11.

Et audiui tanquam vocem; dixit, tanquam, quoniam non erat vox; sed vocis similitudo objecta menti Apostoli, in medio quatuor animalium dicentium, cum ait, dicentium, indicat, vocem esse animalium, nam si vox esset sedentis in throno, vel agni, singulari termino, & non plurali ureretur.

Bilibris tritici denario: Bilibris, sive Græcè chænix, est mensura aridorum, quam frumento plenam, unus homo quotidie sumere potest; & inde vocatur cibus diurnus. Denarius autem est merces, seu stipendium unius diei. Et tres bilibres hordei denario; quia hordeum triplo vilius esse debet tritico; ideo denarius, quod æquivaleret ad unam mensuram tritici, est sufficiens ad triplicem hordei: & quia triticum est melius hordeo, & est cibus nobilium; Hordeum est quid deterius, & est cibus pauperum, hac metaphora admonent Evangelia sefforem in equo nigro, utpote Prælatum Ecclesiasticum, ut primis, & benemeritis in Ecclesia deo suam mercedem, & sustentationem, & etiam præbeat illam minoribus, pauperibus nempe suas elemosynas. Vinum & oleum ne laferis: Secundum eum admonet, ut sic teneat stateram, & iustitiam seruet, ut respiciat charitatem, & pietatem, quæ per vinum, & oleum significantur, de quibus dicam infra, quæst. 12. & 13.

QUÆSTIO X.

Quare tertium animal vocat Ioannem ad videnda contenta in tertio sigillo?

Tertium animal, est illud, de quo cap. 4. numer. 7. dicitur: Et tertium animal habens faciem quasi hominis. Et est Sanctus in regimine ostendatur ratio, & non affectus. Et optime consonat cum re significata; & homo homines vocat, cum de humana administratione, ac regimine Prophetia pertractat; & cum præcipua pars hominis sit ratio, homo rectus potius agit ratione, quam affectu, quod maxime exoptatur in regimine, & peculiariter Ecclesiastico, de quo hic agitur.

Secundum, D. Matthæus est, qui Ioannem vocat ipse de Christo homine maxime agit, & generationem humanam ipse narrat, secundum quam Rex, & Pastor universalis est, quem superiores, ac Prælati Ecclesiastici, quæ eius vices tenent, utpote ejus vicarii, debent in omnibus sequi ab illòque non degenerare. Tertium, quia D. Matthæus totum sermonem Domini in monte, in suo Evangelio cap. 5. 6. & 7. nobis descripsit,

descripsit, ad cubum doctrinam omnes Prælati debent suam gubernationem, & viam conformare. In ipso sermone optima, & excellentissima nobis traduntur leges, & inde omnium canonum, & regularium sanctionum salutaris est scaturigo: Doctrina enim hujus altissimi sermonis; scilicet in monte, informatio est totius vite Christiane, ait D. Palchafus.

De se ait ipsa sapientia Increata Christi, Proverb. 8. n. 15. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Quæ ultima verba sic referunt Septuaginta: Dynasta scribunt iustitiam; ex quo loco colligit D. Thomas 1. 2. q. 93. art. 3. omnem legem Regum, ac Principum à lege Divina; hæc enim idem est cum sapientia æterna; & ut ipsemet ait art. 1. Sicut Dei sapientia quatenus per eam cuncta sunt creata, rationem habet exemplaris, vel artis, vel idæ; ita eadem sapientia Dei cuncta movens ad debitum finem, habet rationem legis, secundum quod est directiva omnium actionum, & motionum.

In illa mirabili Ezechielis quadriga, valde altissima erat rotarum dispositio, nam præterquam quod una rota haberet quatuor facies, & esset rota in medio rotæ, additur ulterius, fuisse aspectus rotarum & opus earum, quasi visio maris. Ubi D. Gregorius per rotas unam in altera inclusas, veteris testamentum intelligit, novumque in veteri contentum, sed cur sacra Scriptura, visio maris appellatur? Sic respondet Sanctus Gregorius: Recte sacra eloquia visioni maris similia narrantur; quia in eis, magna sunt volumina sententiarum, cumuli sensuum. Sed hoc supposito mihi inde insurgit dubium, quia Ecclesiastes ait cap. 1. numero 7. Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant; omnia flumina à mari exeunt; quoniam flumina sunt hæc, quæ ab hoc Scripturarum pelago exeunt. Inquiri rectè Rich. de S. Victore. Sine dubio sunt omnes nempe rationes rectè agendi, leges bene gubernandi, ac disciplinæ rectè, & sanctè vivendi, quæ ab hoc magno oceano hauriunt salutarem aquam, ut universam terram iustitia, ac sanctitate valeant fecundare. Richardus: Ad hoc mari magno divina scriptura flumina exeunt nostra rationis, ac sanctæ discipline, ut armus servet in lege, ac voluntate Dei, bene agendo, & operando.

QUÆSTIO XI.

Quid sit equus niger, & quid significet; & quis ejus seffor?

Non dicitur de hoc equo, sicut de præcedenti, exivit; quia caput status Ecclesiastici, quem hic equus significat, maxime fixum, & constantem habet situm in uno loco, Roma nempe. Quæstio inquit, quid significet hic equus niger; circa quod variæ sunt sententiæ, pro quo videnda est q. 2. & breviter hic sententiæ attingam.

Prima sententiæ est Aureoli, qui in equo intelligit Titum Imperatorem, qui Hiero-

solymam vastavit, & gentem Judæorum ex magna parte excidit. Hunc volunt, tenere libram divinæ iustitiæ, & vindictæ contra Judæos; ob inexpiabile mortis Christi nefandum scelus. Sed contra, quæ æqualitas esse potuit; nam omnes omnino pœnas, quæ Judæis infligi poterant, facinoris illius immanitas longè superavit. Deinde vastatio Hierosolymæ jam præterierat annis 25 cum hæc vidit, & scripsit & Joannes, eratque toto orbe vulgatissima, & notissima, & ideo non erat obcurè notanda.

Secundum, Haymo vult, equum rufum significare multitudinem reproborum propter crudelitatem; hunc nigrum eandem innuere, ob fecilitatem vitiorum; sed hoc parum firmum est; quia vult duo sigilla idem habere significatum in prophetia tam pressa, & tantorum mysteriorum.

Tertium, Alcazar existimat, sefforem hujus equi nigri; esse voluntariam paupertatem, & indigentiam Christianorum primitivæ Ecclesiæ; huic ponit in manu stateram, qua non triticum, sed cuiusque necessitatem ponderat, sed hoc non bene, quia voluntaria paupertas maxime avertit mentem à ponderatione necessitatis, illique quocumque modo satisfacere sine ponderatione contenta est; & satis multa difficultate cætera, quæ hic dicuntur, Oleum & vinum ne laferis, accommodat Alcazar ad suum intentum.

Quartum, Thomas Anglicus, Joachimus, Gagnaus, Pererius, Ribeira, Cornelius, Joannes de la Haye, & alii dicunt, in equo nigro significari hæreticos, qui in nigris errorum tenebris versantur, quorum pedes veloces sunt ad effundendam malitiam; & ait Cornelius: unde è diametro primo equo albo, cui Christus insidet, opponitur hujus equi seffor diabolus, vel ipse Hæresarcha, v. g. Arius; Habet stateram, id est, sacram Scripturam, ad quam omnia vult librare, & examinare, non in mente, sed in manu, quasi ad libitum versatilem, flexibilem, ut eam ad errores suos, prout libuerit, torquet, & inflectat. Præter id quod dicitur de colore nigro, alia non habent fundamentum in Scriptura; statera ponitur in manu, & non in mente, & est symbolum iustitiæ, non verò sacræ Scripturæ, & nulla verba text. indicant, hic esse sermonem de statera dolosa, ut accommodatio fiat ad Hæreticos; imò verba text. indicant, tam exactam, & rigorosam esse iustitiam, ut necesse fuerit, admoneri à quatuor animalibus de charitate, & misericordia: Vinum & oleum ne laferis. Ac si diceretur, iustitiam charitate, & misericordia leniendam esse; ad quid enim admonendi sunt hæretici de charitate, ac misericordia? cum potius admonendi essent de fide, veritate, humilitate, ac obedientia Ecclesiæ.

Dico in hac difficultate, quod in hoc sigillo prophetice annuntiantur principatus, potestas, ac regnum Ecclesiasticum. Hanc sententiam tenet Ferrarius, & loquimur de ipso regno Ecclesiastico, non secundum partem interiorem, & merè spiritualem; sed secundum partem externam, & politicam, prout ordinatur ad regimen, & gubernationem iustitiæ, in quo intelliguntur omnes Prælati Ecclesiastici à summo Pontifice, usque ad minimum prælatum Eccle-

D. Palchaf. 109. Prov. 8.

Septuag. Omnis lex humana à divina derivatur. D. Thom.

110. Ezech. 1.

D. Gregor.

D. Greg.

Eccles.

105. Græc.

106.

107.

108.

111. Status Ecclesiasticus permanent.

Matth. 5. Ad Christi omni nostra vita est conformanda, & componenda.

113. Haymo.

114. Alcazar.

115. S. Thom. Joachim. Gagn. Perer. Ribeira. Corncl. La Haye.

116.

Ferrat.

Principatus Ecclesiasticus.



Ecclesiasticum ac etiam Religiosorum, ab exordio ipsius Ecclesie usque ad finem, equus ergo, est omnis Ecclesiastica multitudo, & etiam Christianorum, prout sustinet, ac sustentat talem potestatem: sessor vero componitur ex omnibus Prælati, ac superioribus Ecclesiasticis.

Principatus Ecclesiasticus in equo nigro annuntiat, ad ostendendam integritatem, & inviolabile jus justitie. Nam niger color obscurat, & obtenebrat oculos, ne videant, ut patet in nocte obscura. Quomodo obscuratum est aurum optimum. Thren. 4. num. 1. Alii legunt: denigratum est; verus Prælati, verus Judex debet habere oculos obscuratos, & obtenebratos; in cujus rei exemplo dicitur de Deo veniente ad judicium: Caligo sub pedibus ejus, nempe densa est, & obscurata caligo. Psalm. 17. num. 50. Ex quo etiam sensu dicitur Nahum 1. num. 3. Dominus in tempestate, & turbine via ejus; & nebula pulvis pedum ejus: hac ratione, cum olim judices ad judicandum accedebant oculos obvelatos asportabant, ne attenderent, ad personas hominum, nec judicarent secundum affectum amotis, vel odii, sed ut merita exigebant.

Secundò, eo sensu, Ecclesiasticus principatus representatur in equo nigro, ac comæ capitis sponsi dicuntur nigra sicut corvus. Cant. 5. num. 11. quod ut explicat, D. Grego. Nyss. D. Gregor. Papa, Cassiodorus, Philo. Carpat. Justus Orgilitan. Beda. Richard. de S. Victore, qui omnes per comas Christi, intelligunt Apostolos, justos, & electos, ut explicat, cit. Richard. Nigredo bonorum, quod peccatores se reputant, & peccatorum suorum verecundiam in vultu portant: despectionem quippe eligunt; contemptum aquanimiter ferunt; vilia opera, & sordidam habitum appetunt: scientes in hac humilitate pretiosum Christi thesaurum latere. Hac est nigredo bonorum, in qua se corvus assimilant. Sic & boni, ac recti Prælati Ecclesie equo nigro comparantur; quo ob velocem cursum, quem habent ad lustranda sua loca; nigredini verò, quia quamvis ad altum dignitatis apicem evehantur; non tamen inde superbescunt, sed de se humilia sentiunt, & judicant, seque omnibus inferioribus minores reputant.

Sessor habet stateram in manu, hoc est, jus canonicum, & religiosum, ut omnia cum recto pondere, ac mensura agat, & disponat; & ne nimis, sit rigidus, ideo omnia quatuor animalia, id est, omnia quatuor Evangelia; in communi clamant: Bilibris tritici denario, id est, portio conveniens unius diei; & tres bilibres hordei denario; quia hordeum minus valet tritico; ne ergo Prælati, ac superiores toti sint in condendo, ac observando, & propugnando rigore legis; recordentur etiam, officii sui esse, pascere subditos, eisque tanquam patres, & Pastores, alimenta præbere, tam animæ, quam corporis; eis debitam portionem uniuscujusque die ministrare, majoribus portionem de tritico, minoribus verò, ut pauperibus de hordeo; & ne tantum credant Prælati, munus suum implere, si stateram tantum legis manu teneant, sciant, de ipso rigore legis minuire, & ad pietatem condescendere; & idè huic sessori cum statera in manu, clamant quatuor animalia, seu Evangelia, Vinum, &

117. Judex non reverentur personas. Thren. 4.

Psalm. 17. Nah. 1.

118. Cant. 1. D. Nyssen. D. Gregor. Cassiod. Philo. Carp. Orgilitan. Redu. Richard.

Prælati, in dignitate de se humiliter sentiat.

119.

Prælati se agat de rigore legis, ut suis necessaria provideat.

oleum ne laferis, id est, ne offendat, ac transgrediarur charitatem ac pietatem.

Hæc sententia sic explicata ex multis mihi videtur, & veritatis punctum attingere; & Primò, quia sic enucleata bene consonant cum verbis sacri enigmaris, nec quidquam violentum, aut quidquam repugnans dicitur. Secundò, quia Ecclesiasticus principatus maximè spectat ad universalem cursum totius mundi, ad Christianam rempublicam, sicut alii principatus, qui in aliis equis designantur. Tertio, quia hic equus nihil designat infantum, nam statera præcisè sumpta nullius infanti symbolum, & quando ad hoc sonitur, est cum additamento doli, ut in alio Propheta. Quarò, quia omnia quatuor animalia insigniter huic equiti familiaria se ostendunt, quod minimè cum aliis equitibus faciunt; & quænam ratio est, cur quatuor animalia magis attendant ad hunc equum, ejusque sessorum, quam ad alios, secundum, scilicet, & tertium, si æque, ac illi infans est, & bella, clades, ruinas, ut illi, denuntia: Quintò, Ipsemet admonitio à quatuor animalibus facta; Vinum, & oleum ne laferis indicat, hunc equitem non dicere bella, & mortes, ut secundus, & quartus designare videntur; sed quid valde familiare, ac domesticum, spectans ad regimen, ac sustentationem, & annonam subditorum.

Ex quo nota, quod, hic sessor, eisi habeat stateram in manu una, in altera minimè habet gladium, sed aliam veluti paratam, ut cibos distribuat in subditos, ut adtonetur à voce clamante: Bilibris tritici denario; hoc est, debita portio diurna; quia si Prælati una manu tenet rigorem legis, ut eam impleat; alia fundat suavitatem ad mitigandum ipsum rigorem.

Ad congregationem aquarum, in quibus, ut est valde solemne apud expositores, detantantur principes, ac populi, clamat David, Psalm. 103. n. 25. Hoc mare magnum, & spatiosum manibus. Non otiose manus attribuntur mari, sed ut illis vivant, & perseverent, quos in rerum natura alit ipsum, sed quem sunt manus, & brachia maris? sine dubio flumina, per quæ dulces aquas mianstret; si enim mare habet sal quo pungit, & restringit habet etiam manus, & brachia, per quæ dulcissimam aquarum effundit; sic & Prælati, si habent sal, rigorem nempe legis, quo restringant, & pungant; habeant etiam dulcedinem cum alimonia, ut rigorem legis valeant mitigare, & subditos recreare; ad quod respicit Theophylus Antiochenus lib. 2. ad Aureolum: Caterum, ait, mundus comparatur, verissima ratione maris, quemadmodum mare; ni subinde sentiret, & experiretur fontium, fluminumque, secundum fluxum, & alimentum caperet ex salugine sua, ejusque dulcibus aquis diluatur; jam dudum intercedisset: si mundus non haberet leges, & prophetas manentes, & scaturientes dulcedinem, misericordiam, justitiam; & doctrinam sanctorum Dei præceptorum, propter peccatum, & malitiam, que duo in eopotent, & copiose regnant, cerie jam dudum interisset.

De anima sancta decantatur: Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculo un tuorum, in uno crine celli tui. Quam pulchra sunt mamma tue! Cantic. 4.

120.

Prælati temperet rigorem legis cum suavitatem & alimonia subditorum.

121.

122.

Psalm. 103.

Multiplicet bonitatem, ac alimonia rigorem legis temperandum est. Theophyl.

123.

Cantic. 4.

num. 9. & 10. Laudaverat sponlam in uno oculo, in uno crine colli, seu ut legit D. Gregor. Nyssen, in uno torque colli; ac cum ad mammas ventum est, non unam, sed duas laudat, ac requirit. Si in uno oculo, in uno torque placeret, cur duo ubera seu mammas exoptantur? Nam si uno oculo erat invigilans super gregem, & uno torque colli sui ipsum gregem astrinxerat, & ligaverat; duas tamen habebat mammas, ut lactis dulcedine ipsum alimentaret, ac recrearet, tam in bonis temporalibus, quam spiritualibus ad quod tendit Glibert. Abbas serm. 31. in Cant. His uberibus genuit abundare debet, qui doctoris, & Patris in Ecclesia locum occupat; his mammas à dextris, & à sinistris, ut qui ei commissi sunt, potenter à lacte, & satientur ab uberibus consolationis. Harum alteram reputa sinistram, alteram dextram; sinistram temporalibus subsidiis, dextram spirituali consolatione. Debet bonus Prælati, mamillis abundare, maximè pro providendis subditis, ut austeritatem legis multiplici dulcedine lenire videatur; & nota quod lex dicitur torques colli Prælati; quia jugum, quod imponit super collum subditi, debet in suo asportare.

D. Nyssen. Prælati, si habet vigorem legis provideat multipliciter subditis necessaria. Glibert.

124. Hæretici pravo sensu Scripturam ad suos errores detorqueunt.

D. Paulin. Aponius.

Cantic. 1. Impugnatur dicta sententia.

Tico Primas. Beda.

Hypocrita simulantes justitiam.

QUESTIO XII.

Quare sessor in equo nigro portet stateram, & quod significet?

Auctores relati in quarta sententia superioris quæst. tenent, hunc equitem in equo nigro, esse hæresarcham, vel ejus præceptorem diabolum, & hic habet in manu sua stateram, scilicet, sacram Scripturam, ad quam vult omnia examinare, vel libare, & non in mente, sed in manu habet, quasi ad libitum versatilem, ut eam ad erroes suos, prout libuerit, torqueat, & inflectat, quod vitium maxime pungit D. Paulin. in Felice Orgilitano Episcopo lib. 2. adversus eam, & ideo Divinus sponsus, ut expendit Aponius lib. 2. in Cant. maxime exoptat, ut sua dilecta pastores suos juxta tabernacula pastorum; Cant. 2. num. 7. id est, juxta doctrinam Sanctorum Patrum, ac Doctorum Ecclesie, ut ab illis iniquis magistris fugeret, & declinaret; Valdè tamen inasitatum est, sacram Scripturam per stateram significari, & quod ab Hæreticis inclinetur in hanc, & illam partem, melius alio instrumento, lancea, vel gladio, poterat denotari.

Secundò Ticonius, Primasius, Beda, tertii sigilli mysterium de falsis fratribus, & præcipuè de hypocritis, interpretantur, qui sub dolosa sanctitatis imagine & falsa pietatis obtenta, vel sibi lucrum, & honorem captant, vel etiam aliis spiritualem perniciem, exitiumque comportant: cur tamen in manu sua stateram habere dicantur, cum æquitatis, qua omnino destruantur, & justitiae sit Symbolum? quia hypocrita simulantes magnam justitiae zelum, aliorum dicta, & facta examinant & investigant, velut ad trutinam perfectæ justitiae; & quidquid convenit iusto judici, etiam isti veritantes, & callidi simulatores justitiae,

sibi arrogat, & usurpant; sic ait Primasius i Habebat, ait, stateram in manu sua, qua mensura similari significatur examinis; per quam singulorum merita perpendunt: quicquid enim iusto congruit judici, & transgressores usurpans: inde est illud. Isai. 14. Ponam thronum meum ad Aquilonem.

Velut explicat Ticonius: Ideo stateram, ait, habebat in manu sua, quia dum se fingunt mali, justitia librum tenere, sic plerumque decipiunt. Sessor ergo iste stateram tenens in manu, hypocrita exprimit personam; intendit, se plerumque justitiae reputari qua tamen omnino vacuus est; sed nunc quæto nõne primo sessori datus fuit arcus, secundò gladius magnus ut adversarios interficerent; cur ergo huic equiti, non datur arcus, quo sagittæ in occulto rectorde? vel cur ensè destituitur ad alios trucidandos? Equi nigri sessor talibus armis non indiget; quocumque enim gladio quibusque talis nocentior, ac crudelior est simulata justitia, ac ficta sanctitas.

Tertio, Haymo: Statera perversa ejus suscipio intelligitur quia vitam multo un mercari querit, ut suam esuriam satiare querit; & ut possit hoc facere; prius eis, quibus temporalia promittat, alimentum verbi Dei subtrahit, qua necatos in corpus suum assumens, sanam malitia sua auget, potiusquam depllat: Dat vilia quæ am, & temporalia, ut auferat pretiosa, & æterna: sicut Ade dedit pomum, & torum per illum in filijs suis accepit modum. Ad modum mercatoris se habet diabolus, mercatores statera utuntur, ut quæ sibi placeant mereantur, & ut pensent, quæ dant, quæ accipiunt: Ita diabolus, ut pessimus mercator, habens in manu sua stateram dolosam, ut dicitur Osæ 12. n. 6. præbens, secum commercium habentibus vilia, ut auferat pretiosa: præbens temporalia, ut adimat æterna, & hæc suos obsecrat, ut apud hos plus valeant temporalia, quam æterna, ut ait Glossa moralis: Nam judicat ad ponderandum multum temporalia, & modicum æterna: hic ergo optime adaptatur illud Psalm. 61. num. 10. Mendaces filii hominum in stateris.

Dico juxta superiori q dicta, quod hic sessor in equo nigro sit Prælati Ecclesiasticus, habet stateram in manu in signum totius justitiae, & observationis juxta canonicas, Ecclesiasticas ac regulares leges secundum quas cuncta tenentur agere, & disponere. Proindeque statera hæc significat jus canonicum, & regulare, secundum quod cuncta trutinare debet, ut cuncta fiant pondere, & mensura, non solum quæ sunt fidei, sed etiam quæ sunt morum, & ad politicam Christianam spectant: ac proinde statera justè unicuique reddendum est jus suum, juxta pondera, & merita, quæ solum sunt attendenda, & non ad personas, ac alia æterna.

Hoc discant Ecclesiastici à supremo nostro capite Christo Dei Filio, cujus ad nos advenientes hoc signum posuit Isaias 11. n. 3. Non secundum visionem oculorum judicabit. Et quæ magis certa forma judicandi potest esse, quam ex his quæ homo videt? quomodo ergo ait propheta; secundum visionem oculorum judicabit: Quæ verba sic leguntur à D. Cyrillo Alexand. Non ex opinione judicabit, neque ex irmons arguet. Et quid est, non judicare, secundum

Isai. 14.

116.

Simulata justitia omnibus armis nocentior. Ticoni.

127. Haymo.

Diabolus se obsecrat, ut plus ponderis videatur temporalia quam æterna. Osæ. 12.

Gl. moralis

Psalm. 61.

128.

Prælati se pondus & mensuram cuncta gubernet.

129.

Isai. 11.